

dicere, qui erat clericus primæ tonsuræ, & beneficium Ecclesiasticum à se possessum, referata sibi pensione, resignaverat, an gauderet privilegio fori. licet in habitu, & tonsura non incederet; die sexta Decembris 1576. sacra Congregatio nihil decrevit: Nam primò aspectu videbantur oblatte verba Concilij, ibi, *beneficium Ecclesiasticum habeat*. Et sic re ipsa corpus beneficij; Pensio autem non est hujusmodi, quæ consistit in mera temporalitate. Item quamvis appellatione beneficij veniat pensio largo modo; tamen clarum est propriè non venire, c. *Quamvis, de preben. in c.* ubi si Pontifex mandat alicui provideri de beneficio, non potest dari pensio nisi expressè fiat mentio pensionis in litteris. Stapil de litteris *gratia. quest. 28. c. 6. c.* Ad *audientiam, de rescriptis*, ubi omnes, excepto Barbatia, dicunt pensionem strictè non venire appellatione beneficij, in materia favorabili venire: sed non est favor ut gaudeat in habitu, & tonsura non incedens. Ultimò, Concilium non intellexit appellatione beneficij venire pensionem, ut in c. 2. *sess. 21. c. 18. sess. 23. c. 15. sess. 25.* tamen quia in terminis adest decisio Gigan. *qu. 94.* quæ in praxi observatur Neapoli, Venetijs, & alibi, & in dubio judicandum pro foro Ecclesiastico, censuerunt Patres amplius deliberandum, die 13. Decembris 1576. sacra Congregatio pravitit aliquas difficultates futuras in decisione hujus quaestions; quia jure veteri, & verbis c. 6. *sess. 23.* & solito modo loquendi Concilij non videtur Pensionarius comprehendi appellatione habentis beneficium. Quia tamen consuetudo & Venetijs, & Neapoli stat pro pensionario, juxta decisionem Gigantis, licet quoad consuetudinem ea Romæ non probetur, nec in statu Ecclesiastico, & consuetudo unius loci ad alium non extendatur: sacra Congregatio censuit non expedire decidere istum casum, sed ad Sanctissimum remittere decidendum.

131 Sanctissimus audita relatione Congregationis, die 18. Decembris 1576. declaravit Pensionarium conferri beneficium ad effectum gaudendi privilegio fori Ecclesiastici, de quo Consilium loquitur. Idque duabus rationibus. Primò, quia Cancellaria habet Pensionarium pro beneficio, ideo vult exprimi in Bullis pensiones sicut beneficia. Secundo quia Pius V. Bulla sua coëgit pensionarium ad dicendum officium, saltem Beatæ Mariæ.

Vnde postea sacra Congregatio consultata, An clericus primæ tonsuræ, qui in habitu incedit, habetque tanquam clericus pensionem, sed non beneficium, nec Ecclesiæ iussu Episcopi deseruit gaudeat privilegio fori: Censuit gaudere ad instar obtinentis beneficium. An autem præallegatum Concilij decretum in c. 6. *sess. 23. in princip.* ubi statuit ut nullus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere, appellatione beneficij comprehendat pensionem, dixit in *c. cum in causa, num. 102. infra de elect.*

133 Terriò QUERO, An homicida voluntarius, reclusus locum possit obtinere, & obtentas recedere pensiones absque dispensatione, non obstante cap. 7. *sess. 14.* quod de beneficiis tantum loquidetur.

Die 11. Julij 1577. proposito hoc dubio Congregatio generalis omnium sententijs censuit

d. c. 7. non comprehendi pensiones, tamen faciendum verbum cum Sanctissimo, & in memoriam revocandum quod Cancellaria in Bullis dicit cum retentione quorumcumque beneficiorum alias comparabilium, & pensionum. Referentibus die 19. Julij 1577. Cardinalibus Morono, & Alciato sanctitas sua non habuit pro bono argumento quod Cancellaria ita exprimat; id enim sit ad majorem declarationem. Tamen dixit in materia favorabili, ut illa privilegij fori, appellatione beneficij venire pensionem. Die 8. Augusti 1577. Congregatio generalis cum hæc essent relata, dixit servandum esse hanc distinctionem, & ita referendum.

135 Quæto QUERO, An clericus possit ab Episcopo sacris Ordinibus initiari ad titulum annuæ pensionis, sicut potest ad titulum beneficij Ecclesiastici.

Solutio; Si agatur de pensione, quæ assignatur in titulum beneficij, & sic primæ speciei, de qua egimus supra in *prima quest. num. 41.* extra dubium est ad illius titulum posse clericum promoveri, quia talis pensio est verè, & proprie beneficium Ecclesiasticum ut illic firmavimus. Sed si agatur de pensione secundæ speciei, quæ in stipendium assignatur ad tempus super fructibus alicujus Ecclesiæ, dicendum est Episcopum non posse ad titulum talis pensionis quemquam promoveri, nisi ad eum modum, quo potest clericos ordinare ad titulum patrimonij, id est pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Ita expressè statutum decreto Concilij Tridentini in c. 2. *sess. 27. ibi*, [Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari post hæc non possunt nisi illi, quos Episcopus judicaverit a sumendis pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum,] & advertit Navarr. *conf. 14. incipien. Quæritum est, num. 2. vers. Tam quia Concilium, de tempor. ordin.* Undè sacra Congregatio iam pridem respondit pensionem non esse titulum ad sacros Ordines nisi dispensativè. Sed & jure communi inspecto, quamvis pensio assignata sit clerico pro titulo recipientorum Ordinum; non tamen censetur titulus beneficalis, de quo in *c. Tus. de preben. ut tradit Gigas de pension. q. 33. in princip.* Cæterum subsistente causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, etsi clericus possit ordinari ad titulum pensionis, tamen cogi non potest ad Ordines suscipiendos, quia in *c. Queris, infra de estat. & qualitat.* ubi Clerici beneficiati ex causa necessitatis, vel utilitatis compelluntur recipere Ordines suis beneficiis non annexos, appellatione beneficij non venit pensio, ut ibi dixi *num. 28.*

137 Ultimò QUERO, an in decreto Concilij Tridentini c. 9. ibi, & beneficium statim re ipsa illi conferat, *sess. 23.* appellatione beneficij veniat pensio.

Coringit hic casus in Episcopo Brevensi, qui ut suum familiarem decennale ad pensionem obtinendam capacem redderet, primam tonsuram eidem contulit absque litteris dimissorialibus Patriarchæ Venetianum, subsequente statim dictæ pensionis reservatione. Et cum dubitaretur an valida esset tonsuræ collatio, sacra Congregatio censuit tonsuram collatam ab Episcopo familiari suo decenniali validam esse si statim ei reservata fuit pensio. Itaque appellatione bene-

beneficij, de quo loquitur, d. c. 9. *sess. 23.* cum materia illa sit favorabilis, ex sententia sacre Congregationis comprehenditur etiam pensio.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Edoceri.

S V M M A R I V M.

Abbas in causa monasterij convenitur per rescriptum, in quo nulla sit mentio de conventu, nec propter hoc appellari potest, nisi Abbatis, & conventus bona essent distincta unimò.

2 Mensa conventuali instituenda est, distincta, & separata ab Abbatis in omnibus monasterijs commendatis.

3 Mensa Abbatis ad conventuali separari non debet in monasterijs, quæ dantur in titulum.

4 Commendatarij monasteriorum an possint se immiscere in his, quæ concernunt regularia instituta.

EDOCERI. In causa monasterij convenitur Abbas per rescriptum, in quo nulla sit mentio de conventu, nec propter hoc appellari potest, nisi Abbatis, & conventus bona essent distincta omnimò. Hoc dicit Abbas Siculus, communis divisio. Secunda ibi, *super quo.* Et primò ponit duas quaestiones, Secunda ibi, *ac licet.* Item pars secunda duo facit. Primò, solvit illas duas quaestiones, & causam reddit. Secundo expiendò declarat solutionem, ibi, *nisi forte.* Joan. Andr.

In textu ibi, *Abbatis, & conventus negotia essent omnimò distincta.* Notam monasterio aliquando mensam Abbatis esse distinctam à mensa conventuali. Quod si queratur an expediat hanc distinctionem inducere, aut approbare conventiones, seu concordias eam inducentes, sic distinguatur; Aut monasterium est commendatum, & servanda est dispositio Bullæ 18. Gregorij XIII. *Superna, s. 9. in Bullar. tom. 2. pag. 381.* quæ decernitur, ut in omnibus monasterijs, quæ commendata reperiuntur, & in posterum commendabuntur, etiam S. R. E. Cardinalibus, ubi non fuerit, instituat mensa conventuali ab Abbatis mensa distincta, & separata, ut ibi plenius videre est. Et quamvis Bulla loquatur tantum de monasterijs ordinis Cisterciensis: tamen convenies est ut servetur etiam in alijs Ordinibus Monachorum. Ratio, est quia cum commendatarij sint Clerici seculares, non decet, ut sint cum Regibus commixti, nemo enim potest Ecclesiasticis officijs simul, & monachali regulæ deservire. C. *Nemo 16. quest. 1.* & sicut dicitur in Concilio Hispanensi, in uno, & eodem officio non debet esse dispar professio, dicente Moyle, Non arabis in boue simul, & asino, id est homines diversæ professionis in unum non lociabis; nam coherere, & conjungi non possunt, quibus vota, & studia sunt diversa c. *In nova 16. q. 7.* & dispares mores, inquit Tullius de Amicitia, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo

Prosp. Fagn. in 1. Decretal.

do dissociat amicitias. Undè & de jure communi si non professus eligitur ad regimen Ecclesiæ regularis, cassatur electio, consuetudine in contrarium non obstante, ut est casus in *c. Cum casum, de electi. & decreto Concilij Trident. sess. 14. cap. 10.* Statuitur, ut regularia beneficia in titulum regularibus provideri consueta conferantur tantum Religiosis illius ordinis, ne vestem lino, lanæque contextam induant, & in c. 21. *sess. 25. de Regular.* disponitur ut monasteria commendata, quæ impofterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur. Non ergò videtur decens esse, ut clericus secularis, cum Monachis conjungatur, & communi mensa utatur cum eis.

Aut monasterium non datur in commendam, sed in titulum; & hoc casu separatio mensæ Abbatis à conventuali fieri non debet, quia est contra Regulam S. Benedicti, secundum quam inter Abbatem, & Monachos omnia sunt communia, & in dispositione Abbatis cuncta sunt posita, ut in *c. Cum ad monasterium, s. Abbas de stat. monachor.* Item Abbas, & Monachi constituent unum corpus, cujus Abbas est caput, Monachi verò membra ut hic patet & 18. *quæ 22. per tot. colleg. Paduan. caus. 2. num. 25. & seq.* post Concilia Cardinalis Zabarella. Non licet autem à capite membra recedere, cap. *non deest, 12. dist. cap. cum non liceat de prescrip. cap. Novit, & ibi gloss. in verb. Non deest, de his que sunt à Prælato.* Quamobrem jure optimo in casibus contingentibus sacra congregatio rerum Consistorialium sæpius improbat conventiones pro separatione mensæ Abbatis à conventuali, & in specie in causa Cracoviens. transactionis, seu separationis mensæ inter Abbatem, & monachos monasterij Capriuncien. ordinis Cisterciens. 16. Maij 1652.

Extra QUERO, an commendatarij monasteriorum possint se immiscere in his, quæ concernunt Regularia instituta. Solutio patet ex litteris in forma Brevis Fel. rec. Innocentis X, quarum tenor talis est, videlicet.

INNOCENTIVS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

PASTORALIS officij nobis divinitus commisi partes esse cognoscimus, ut Religiosorum virorum in humilitate spiritus sub sacri Religiosis iugo Altissimi obsequij mansuetudinis commoda, & felici directione intendentes, illos à dispensijs quibuslibet quantum nobis ex alio conceditur, afferamus. Sane pro parte dilecti filij Claudij Abbatis generalis Ordinis Cisterciens. per eius procuratorem nobis nuper exposuit, quod licet peculiaris Ordinis prædicti privilegia à quampurimis Romanis Pontificibus, & signantur à Fel. rec. Pio II. Sixto V. Innocentio VIII. Pio IV. Pio V. & Greg. VIII. Prædecessoribus nostris concessa, & confirmata respectivè disponant ac declarent, quod commendatarij monasteria d. Ordinis in commendam obtinentes nullam in monasteria sibi commendata quoad eorum monachos invasionem exercere aut, sed visitato ad Abbatem Cisterci, & quatuor primores quolibet in sua generatione iuxta sor-

nam antiquam privilegiorum pertinet, ac Monachi ipsorum monasteriorum commendatorum d. Abbatem Cisterien, & primos quatuor, ac eorundem commissarios ad eandem visitationem recipere, & in eorum manibus professionem emittere debeant: commendatarij vero ne quempium propter delictum egerant, sed quotiescunque Monachi quid admiserint, quod quidem animadvertendum dignum sit, id quantum Priori claustrali, vel Commissario significent, qui correctionem iuxta ordinis præ. statuta faciat: ac demum Prior, & Subprior in ipsam commendatam, seu commendantis monasterij officiales spirituales dicti ordinis professi, & non faculares per commendatarios, etiam si S. R. E. Cardinales fuerint instituantur: Et præterea Concilij Tridentini decreto sess. 25. cap. 20. statutum reperitur, ut priores claustrales, aut in Prioribus conventum habentibus superiores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent, à capitulis generalibus, vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur: Ac insuper à Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotij, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita resolutionibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis in hac emanaverint die secunda Augusti 1647. quibus tunc existentibus nostro, & sedis Apostolica in regno Poloniæ Nuncio in unum fuit, ut seruo in vigilaret, ne commendatarij huiusmodi, & signanter dilectus pariter filius Alexander Donhoff commendatarius monasterij Andreonien. Ordinis præfati Cracovien. dioc. circa officialium electiones, vel circa Monachorum vitam, & mores, ceteraque institutum regulare spectantia se ingerent: Nihilominus ydem commendatarij passim, & imprimis præfatus Alex. Donhoff in vim litterarum Apostolicarum super eorundem monasteriorum commendis expeditarum, in quibus huiusmodi monasteriorum cura, regimen, & administratio tantum in spiritualibus quam temporalibus plenarie committitur, præter eandem ius instituentis, ac deservientis Priores, & Officiales claustrales visitandi, corrigendi, statuentis, ordinandi, & exercendi ea, que instituta regulare continentur eorundem commendatarij nonnulli non contenti redditibus, ac fructibus, quarum maiorem partem ex opulentioribus dicti Ordinis monasterijs colligunt, in alienam insuper messem veluti in electiones, ac depositiones Priorum ac Subpriorum, aliorumque Officialium, ac etiam in visitationes, & Monachorum correctiones saltem mutere presumentes, prædicta privilegia, & constitutiones Apostolicas contempni habent in gratia eiusdem Claudij Abb. mo. universi ordinis prædicti iuris præiudicium, quare id Claudius Abb. nobis humiliter supplicavit fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur id Claudium Abbatem specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdici, atque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & poenitentia iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium duntaxat consequens, harum serie adhibentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinatis de prædictorum Cardinalium consilio inherentes prædictorum summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum privilegia Ordini Cisterien. huiusmodi concessi, ac decreto eiusdem Sac. Collegij Concilij Tridentini, ac resolutionibus alias desuper factis Apostolica auctoritate tenore presentium declaravimus, decernimus, ac statutum non licere commendatarijs, Priores, Subprios aut Officialia claustrales instituire, ac deservire, visitare monachos, eoslemque corrigere, nec facultates easdem in litteris Apostolicis

concessis, & expressis, prout supra ad ea, que institutum regulare concernunt, ac tenore prædictorum privilegiorum, & Sac. Concilij dispositione monastico regimini relinquuntur, trahi posse, ac debere, ideoque iudicis filij nostris, & Sedis prædictæ Nuncijs, sive etiam locorum ordinarijs, vel dicti ordinis conservatoribus per easdem presentes iniungimus, ut quotiescunque requisiti fuerint ab huiusmodi vexatoribus, ac violentis natiuissis commendatarijs per censuras, & alia iuris remedia implorato etiam si opus fuerit brachij secularis auxilio, cohibeant, & compescant, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium Decernentes presentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, ac pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sique in huiusmodi præmissis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos etiam causatum Palatij Apostolici auditores iudicari, & deserviri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter congererit attentari. Non obstant. præmissis, ac rec. men. Bonifacij Pape VIII. de una, & in Concilio generali edita de dubiis dicti, demmodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium in iudicium non trahatur, alijque Apostolice, ac in universis alibus provincialibus, concilijs, & capitulis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec ne præfati Ordinis etiam in auctoritate confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegia quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro expressis habentibus, alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, & ceterisque contrarijs quibuscunque. Volentes autem, quod presentium transcriptis etiam impressis, manus alicuius Notarij publici superscripsi, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ auctoritate eadem prout sua fides in iudicio, & extra adhibeatur si forent exhibere, vel ostendere. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Septembris 1654. Pontificatus nostri. Anno decimo.

Similes litteræ expeditæ fuerunt pro Monachis Camaldulensibus sub die 20. Martij Anno 1657.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Dilectus.

S U M M A R I U M.

- 1 Rescriptum super restitutione beneficij non valet tacita causa excommunicationis, & privationis impetrata, & n. 7.
- 2 Index admitti debet ad defendendam sententiam suam.
- 3 Index est non fiat iniuria per appellationem: sit tamen aliquale præiudicium ex retractione sententia.
- 4 Index, qui male iudicavit, qualiter sit puniendus.
- 5 Index à quo regulariter non est citandus in causa appellationis, si præcesserit per requisitionem, seu ad instantiam partis.
- 6 Sacus si ex officio.
- 7 Agens possessorio recuperando repellitur exceptione anonijs à beneficio, & excommunicationis.
- 8 In rescripto non sufficit factum narrare, nisi causa facti adhibeatur, quam iudex præcedit.
- 9 Si de pluribus causis faciendum est mentio: si plures sint.
- 10 Modus iridem exprimens si causam dandi, vel negandi præferat.
- 11 Rescriptum non valet cum processu suppressis.
- 12 Rescriptum redditur subrepticum non solum tacendo id quod est factum, sed etiam tacendo quomodo, & ex qua causa sit factum.
- 13 Princeps ex generalitate facile potest circumveniri.
- 14 Visitator generaliter datus à Papa potest Clericos beneficijs private propter eorum graves, & manifestos excessus.
- 15 Declaratur procedere si hoc habeat ex litteris delegationis, alias secus, & n. seq.
- 16 Delegatus non potest beneficio privare, nisi hoc exprimat commissio ei facta.
- 17 Visitator, & iudex censetur uti potestate, per quam actus sustinetur.
- 18 Visitatores generales possunt inquirere, & referre, sed non privare.
- 19 Intellectus cap. In singulis, de statu Monachor. & n. 1.
- 20 Privatio beneficij est poena ordinaria, que non imponitur nisi pro gravissimo crimine prævia citatione, & legitimis exceptionibus discussis.
- 21 Privatus à iudice non servante ordinem iudiciorum potest petere restitutionem tanquam spoliatus.
- 22 Visitator datus à Papa censetur datus ad corrigendum.
- 23 Visitator potest à beneficijs suspendere, & n. seq.
- 24 Correctio an depositionem contineat.
- 25 Visitator an possit contra contrumdictes ad poenam privationis procedere.
- 26 Episcopo visitans loca exempta, vel in illius diocesis in vim Concilij Tridentini an possit causas ordinarias cognoscere, ac diffinire, & n. seq. usque in fin.
- 27 Visitatio sine quis sit.
- 28 Visitatio & correctio sit ad poenitentiam, & extra

- formam iudicij, & n. 40. 42. & seq.
- 29 Appellatio in his, ubi de visitatione, & morum correctione agitur, ad effectum suspensionis non admittitur, nisi modum excedatur.
- 30 Appellatio in causis ordinarijs admittitur ad utrumque effectum, etiam si in visitatione diocesis cognoscantur, & n. 32.
- 31 Episcopus extra visitationem nullam habet iurisdictionem in locis nullius diocesis, & n. 35.
- 32 Appellatio remedium à innocentia præsidium institutum.
- 33 Visitatores licet procedant sine strepitu, & securi iudicij: tamen legitima defensiones semper sunt salva.
- 34 Defensio à iudice, vel à Principe tolli non potest.
- 35 Episcopus in loco exempto non potest tribunal erigere.
- 36 Visitatio debet ab Episcopo quam celerrime absolvi, debita tamen cum diligentia.
- 37 Sententia non nimia festinatione, ac precipite ferenda est.
- 38 Et debent saltem procedere termini substantiales.
- 39 Archiepiscopus in visitatione provincie Episcopo negligente potest in criminibus notarijs procedere, & poenas ordinarias imponere.
- 40 Episcopus in visitatione Capituli exempti potest sine adiunctu punire crimina, sed non poena ordinaria.
- 41 Visitator Regularium officium est alique iudiciorum strepitu intendere regulari disciplina, & reformationi Ordinis.
- 42 Præcuratio non debetur visitatori, qui vadit pro causa expedienda.
- 43 Episcopus in visitatione potest imponere poenas non ordinarias, sed eas tantum que morum correctionem respiciunt.
- 44 Cause ordinariæ extra visitationem sunt cognoscendæ.
- 45 Episcopus in visitatione Ecclesie exempta non debet ad specialem inquisitionem descendere, nec sententias ferre.

DILECTUS. il primo. Rescriptum impetratum super restitutione beneficij non valet, si de causa excommunicationis, & amotionis impetrantis mentionem non faciat, hoc dicit secundum Joan. Andr. & omnes. Dividitur in duas partes. In prima ponitur facti narratio. In secunda iudicis instructio: ibi, nos igitur. Secundum Hof. Duo Presbyteri propter evidentes excessus Ecclesijs privantur. In communi forma impetrant ut restituantur: litteræ viribus carere pronunciantur.

Nota primò ex eo quod hic visitator, qui sententiam privationis tulerat, denunciavit Pape argumentum quod iudex est admittendus à superiore ad defendendam sententiam suam, prout hic colligit Goffred. Hof. num. 1. in vers. Quod cum ipse. Jo. Andr. num. 2. in vers. Inimavit. Bald. num. 4. Butr. num. 6. Cardin. & Anch. ambo in primo narab. & Abb. num. 6. Nam et iudicij non fiat iniuria ex eo quod litigatores ad appellationis remedium convolvantur, ut l. Et in maioribus, c. De appellat. tam